

Nonne üdem iniquè satis mel pro saccharo , acidum pro salso , fixum pro volatili promiscuè substituere (sed quâ, proh scelus, conscientiâ!) dum non verentur , culpati imposturæ commissæ , Medico experto atq; fideli dicam scribere , aut famam ejus coram arrodere summo studio an- nitent . Cæterum, clarum satis est, operationibus non ita paucis Artem absolvî latissimè diffu- sam , ut Primirosius & Daniel Horstius Instit. Pharmaceut. cap. 2. eligendo sc. , præparando , & componendo , voluere , nisi latâ significatione hæc accipias ; quæ hominis ætatem, non biennem experientiam requirunt : hinc sit, ut qui sedulò Arti operam dedêre , alter alterum labore & in- dustriâ superando , suamque experientiam publicè commonstrando omni spiritu allaboret , ar- cana sua excogitata incognitis characteribus, abstrusis vocum dialectis & abbreviationibus, modò Ebraico, Arabico; Græco modò , Latino , sive Turcico; modò Wallachico aut Germanico idio- mate , vel nescio quibus obscurioribus vocum nebulis atq; insomniis obvelare , ad quorum ge- nuinum sensum enodandum unius alteriusve Bibliothecæ instructissimæ copiosissima atque in- geniosissima Pandectaria volvenda ac revolvenda vix sufficerent . Atq; huic demum difficultati ut succurrerem, argumentum sat amplum cœpi . Lexicon hoc tripartitum ex multivariâ plurimorum Authorum æquè clarissimorum ac probatissimorum lectione congerere , explanando Synonyma Arabica, Syriaca, Græca, Latina, obsoleta; ut & Signa, Charakteres, Pondera & Mensuras Medicas, quarum absoluta cognitio Pharmacopœum legitimū fugere minimè debet . Momii interea lividum vultum, rabidosq; dentes flocci dum facio, ceu qui semper mihi mimus ; duo habeo, quæ Amice Lector monere dudum animus fuit : Vocabula primò Latina non æquè nota in primâ parte, Ger- manica verò obsoleta in secundâ classe serie alphabeticâ querenda ; Secundò Morborum Sy- nonyma, Metallorum, Mineralium, Ponderum ac Mensurarum Signa, Notas, ac Charakteres in tertio ordine suo quoque numero locatas videbis, ne Te legendô error aliquis de- terreat . His studiose Lector benè vale, iisq; hilari fronte utere , ac liberali animo fruere; fruere, ut valeas athleticè, vivas pancratice , Vale !



Aachi-

gefordert von der Deutschen Forschungsgemeinschaft